nam, in aquas poenitentiae, quam SS. Patres *Septimum laboriosum* appellant. Commiseratione digni sunt, qui hominem non habent his praeditum dotibus, sed ignarum, imprudentem, ignavum, mollemque directorem. *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* An verò animae sanitatem consequentur, qui mitti nolunt in piscinam, id est, qui peccata gravia et inveterata diu deslere, et pro illis Deo satisfacere secundum ecclesiastica disciplinae leges recusant, antequam ad sacram corporis Christi communionem admittantur? « In ipsa Ecclesia ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma iustitiae, ne quis à communionis consortio abstentus, brevi lacrymalâ, atque ad tempus paratâ, vel etiam uberioribus fletibus, communionem quam plurimum debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat, » Ambrosius, in Psalmo 118. Et S. Greg. Magnus, lib. 5 Pastor., admon. 31: « Admonendi sunt qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas existiment culpas, quas etsi agendo non multiplicat, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim scriptor si à scripture cessaverit, quia alia non addidit, etiam illa quae scripserat delevit. Nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfacit, cum profecto necesse sit ut verba praemissa superbia verbis subiecta humilitatis impugnet: nec debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi et illa quae ligaverat solvat. Ita et cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus, è contrario appositis lamentis insequamur, etc.... Neque enim Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contrariis metetur; ut qui voluptatibus delectati discessimus, fletibus amaricanti redeamus; et qui per illicita diffundendo cecidimus, etiam à licitis nosmetipsos restringendo surgamus: et cor quod insana laetitia infuderat, salubris tristitia exurat: et quod vulneraverat elatio superbiae, curet abjectio humilis vitae. » Hoc est descendere in piscinam cum caelestis filius hominis Christi Jesu gratiâ, sine qua nemo homo à peccatis mundari, ab animae morbis et languoribus sanari potest.

Vers. 8, 9. — *Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. Et statim sanus factus est homo ille; et sustulit grabatum suum, et ambulabat.* Tribus signis immotescit animae sanatio. 1^o Deseritur peccatum: *Surge.* 2^o Removentur occasiones peccati: *Tolle grabatum tuum.* 3^o In viâ mandatorum Dei, et Christianarum virtutum exercitiis ambulatur. *Et ambula.* Quod peccator à pravis suis habitibus, et à languore ex iis in animâ relicto statim sanetur, extraordinariae gratiae rarum miraculum est. Id tamen quandoque Deus operatur, ut potentiam suam ostendat, et fiduciam poenitentibus inspiret ampliolem. Id verò ut plurimum non praestat, ut infirmitatis suae sensu, at suorum recordatione peccatorum magis humilietur; ut cum pravis habitibus pugnando, fidelitatem probent suam, eorum timeant, sibi ipsis diffident, et divinae

gratiae quotidianum adiutorium humili oratione implorent. « Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.... Non operis imperium fuit, inquit S. Augustinus, tract. 17, in Joannem, sed operatio sanitatis. »

Vers. 11. — *Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum et ambula.* « Tantum non dicit eos deliros et insanos, ait S. Chrysost., hom. 36 in Joannem, cum praecipere ne ejus, qui tam gravi et diuturno morbo ipsum liberaverat, mandatis pareret ac magistrum sectaretur. Generose indolis, animique sinceri testimonium hoc responsum est. Respondisset vir aliquis malignus, dolosus, timidus, ingratus; non sponte sua, sed alterius jussu id se facere: neque id suum, sed imperantis peccatum: et depositio lecto occultare ac dissimulare beneficium. Non ita paralyticus hoster. Noverat enim Judaeorum invidiam, quod non tam apparentem violationem sabbati, quam miraculum à Christo patrumque, gloriamque ex divinis operibus illi accedentem impatienter ferebant. » Verum eorum livore et exprobrationibus insuper habitis beneficium clarâ voce praedicat. Hoc innotuit exemplum, accepta à Deo beneficia grato animo praedicemus, et spreto malignorum et invidorum censorum susurris, diceris, calumniis, in viâ Dei constanter ambulemus, non littere duntaxat, sed spiritui legis obediens. Idque certum nobis sit et exploratum, religiosam observationem sabbati, seu Dominicæ diei, festorumque christianorum, in cessatione à peccato, quod servile maxime opus est, et in morborum spiritualium curatione positam esse. Id intelligi voluit Christus, Dominus sabbati, cum dixit paralytico: « Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. »

Vers. 12. — *Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, et ambula?* Hominem per contemptum appellant, quem Deum agnoscere debebant: miraculum notissimum tacent; mandatum de ferendo grabato per invidiam obijciunt. O pessimam feram invidiam! « Invidi feris saviores, daemonibus pares, et fortasse iniquiores. Ipsi namque nos hostiliter persequuntur, sibi invicem minime insidiantur: homines autem invidi neque naturae suae consortes reveriti, eos infesto animo impetunt, atque se ipsos prius, quam quibus invident, supplicio afficiunt, animumque perturbationibus et anxietatibus temerè cruciant... Ideo omnis venia invidio desperanda est. Nam scortator voluptatis stimulis in excusationem affert, fur paupertatem, homicida furorē, frivolas quidem neque admittens, qualescumque tamen excusationes; invidus verò nullam nisi animi primitiam atque malitiam. » Ita S. Joan. Chrys., hom. 6.

Vers. 14. — *Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Morbi et calamitatis praesens sunt peccati. His rectè utendum, et sincerâ conversione atque poenitentia remedium à Deo summo animarum corporumque medico quaerendum est: S. Chrysost., hom. 37 in Joan.: « Cum graviter aegrotante animâ nullo dolore afficiamur, et tamen levi corporis morbo summâ diligentia medicinam perqui-

ramus; ideo Deus ob animi peccatum corpus flagellat, ut deterius parvis supplicio, melior ad quaerendum remedium convertatur. Ita Corinthiorum fornicatorem S. Paulus corrigit, interitu carnis, et sectione corporis animi morbum coercens, tanquam optimus medicus qui cum hydropisim vel splenem potioribus et levioribus medicinis sanare non possit, extrinsecus ferro et igne utitur. Hanc artem Christus in paralytico exercuit, quod significat his verbis: « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi contingat, » id est, ne longè gravius, aeternumque tormentum patiare. Nemo miretur ob brevem peccati voluptatem perpetuas à Deo vindicæ poenas infligi. Non tot annos peccaverat paralyticus noster, quot annos poenas dedit. Triginta et octo annorum morbus, fuit momentanea forte peccati jucunditas. « Non enim tempore peccata, sed ex animo peccantium judicantur... Quod si multos peccatores bonâ corporis fortitudine et prosperâ fortunâ lascivientes videamus, legendi sunt potius quam invidendi: quod enim in hac vitâ nihil adversi patiuntur, majoris in futurâ supplicii argumentum est. » Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur, » 1 Cor. 11, 32. Nunquid verò omnes morbi propter peccata? Non omnes, sed plerique. Nonnullis probandæ patientiae causâ à Deo immittuntur, ut sancto Job, aliisque iustis: aliis propter peccata, ut huic paralytico. Quaecumque verò ex causâ veniant, æquo animo, patienter, et in spiritu poenitentiae sustinendi sunt, ut flagella Patris filios erudientis, ipsisque haereditatem preparantis, quam nobis donandam confidimus, si paternâ Dei castigantis disciplina meliores evadamus. Ubi verò nobis restituta fuerit valetudo seu animae, seu corporis, gratias agamus Deo: nemo nos inveniat in spectaculis, in ludis, in computationibus, sed in templo. Ibi nobis innotescet Dominus Jesus, quem ignorabamus in turbâ peccatorum. *Vidit eum postea Jesus in templo.* In turbâ cum non videret, in templo videret. Dominus quidem Jesus et in turbâ cum videbat, et in templo: ille autem languidus Jesus in turbâ non cognoscit, in templo cognoscit. Ibi ab eo salutare monitum audivit: « Ecce jam sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. »

Vers. 17. — *Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Deum in summâ quiete semper operantem adoremus, et tranquillo assidueque labore honoremus, status nostri officia fideliter adimplendo propter ejus gloriam. Variæ sunt ac multiplices operationes nostræ in hac mortali vitâ, variæ cogitationes, varia negotia: una erit in alterâ vitâ, continua, nullisque interrumpenda necessitatibus operatio, Deum videre, amare, laudare. « Non fluctuabit negotium nostrum, otiosum negotium plenum solis dulcedinis, nullâ interpellatum molestiâ, nullâ fatigatione sauciatum, nullâ nube perturbatum. Negotium nostrum quod erit? Laudare Deum, amare, et laudare, laudare in amore, amare in laudibus. Beati qui habitant in domo tuâ! in secula seculorum

laudabunt te. Quare, nisi quia in secula seculorum vividebunt te, » S. August. in Psal. 147, n. 5. Ad beatam illam operationis in vitâ aeternâ unitatem suspiremus, nosque ipsos disponamus, mentem nostram ac voluntatem Deo in omni labore ac opere nostro unientes, illudque per ejus amorem sanctificantes et consecrantes.

Vers. 19, 20. — *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Si filii Dei per gratiae ejus adoptionem sumus, agnossemus et humiliter profiteamur nihil nos à nobis ipsis facere posse boni, cum de nostro non habeamus nisi mendacium et peccatum, et ad bonum nihil possumus, nisi preveniamur et adjuvemur ab omnipotenti bono. Deus enim operatur in nobis velle et perficere pro bonâ voluntate. Se autem Patri caelesti conformare nititur vir justus, dans operam ut sit perfectus, sicut Pater caelestis perfectus est. *Non potest Filius à se facere caelestis perfectus est.* Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Atque imprimis Dei charitatem imitatur, Deum diligens, sicut à Deo diligitur: *Pater enim diligit Filium:* et sicut Dei Filius incarnatus Christus Jesus Dominus noster voluntatem Patris et omnia ejus consilia adimplevit: ita vir justus, Delique per gratiam adoptionis filius, Dei voluntatem in omnibus exsequi studet, eique se plenè conformare ut regulæ indeficienti: *Et omnia demonstrat ei quae ipse facit.*

Vers. 21. — *Sicut enim Pater suscitavit mortuos, et vivificavit; sic et Filius, quos vult, vivificat.* Vitam naturæ per Filium suum nobis dedit Pater. In ipso enim vita erat, et vita erat lux hominum. In Filio non minus quam in Patre vivimus, et movemur et sumus. Per Filium dat nobis vitam gratiæ. Sicut enim in Adam omnes mortuati, ita et in Christo omnes vivificabuntur, 1 Cor. 15, 22. Et: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo Jesu, Ephes. 1.* Nullis nostris meritis, sed gratiâ ejus justificamur gratis. Sic et Filius, quos vult, vivificat. Vitam denique aeternam electis suis per Christum Jesum Filium suum dabit. *Ego veni, inquit, ut vitam habeant, et abundantiam habeant.... Ego vitam aeternam do eis,* Joan. 10, 10, 28. Gratias ob tanta beneficia agamus Deo Patri, per Filium ejus, in Spiritu sancto.

Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem... Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit, etc. Sublimia hæc et intellecta difficilia. Itaque valde cautè hæc audire debemus, ad quæ capiendâ parvuli sumus, et corde pio, et cum tremore: « Hanc tenentes regulam sanctis, ut quod secundum fidem quam imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudemus, intelligere autem secundum sanam fidei regulam intelligere nondum poterimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus; hoc est, ut etiam si quid sit nescimus, bonum tamen et verum esse minime dubitemus. » Ut autem perveniamus ad mysterium tam sublimium intelligentiam, animum purgemus, mores emendemus. *Mores perducunt ad intelligen-*

tiam; *genus vite perducit ad genus vite.* c. Alia vita terrena, alia vita celestis; alia vita pecorum, alia vita hominum, alia vita angelorum. Vita pecorum terrenis voluptatibus æstat, sola terrena conquirat, in ea prona atque projecta est: vita Angelorum sola celestis: vita hominum media. Si vivit homo secundum carnem, pecoribus comparatur: si vivit secundum spiritum, angelis sociatur. Quando secundum spiritum vivis, quere etiam in ipsa angelicâ vitâ utrum parvus an grandis sis. Si enim adhuc parvus es, dicunt tibi angeli: Cresce, nos panem manducamus, tu lacte nutrire, lacte fidei, ut pervenias ad cibum speciei. Si autem adhuc inhiat sordidus voluptatibus, si adhuc fraudes cogitantur, si mendacia non vitantur, si mendacia perjuriis cumulantur: tam immundum cor audet dicere: Explica mihi quomodo videt Verbum? Etiam si possim, etiam si ego jam videam. Porro autem si forte ego non sum in his moribus, et tamen ab istâ visione longè sum: quantum ille qui nondum isto superno desiderio rapitur, terrenis desideris pragravatus? Multum interest inter aversantem et desiderantem: et iterum multum interest inter desiderantem et fruentem. Visus ut pecora, aversaris: Angeli perfruntur. Tu autem si non vivis ut pecora, jam non aversaris: desideras aliquid, et non capis. Inchoasti ipso desiderio vitam Angelorum. Crescat in te, et perficiatur in te: et capias hoc non à me, sed ab illo qui et me fecit, et te. »

VERS. 22. — *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Sic vivamus, ut venturum judicem securi videamus. Diligamus Salvatorem, ejusque præceptis pareamus, ut judicem sustinere possimus. Pius et impiis, electis et reprobis videbitur; in eâ lance judicaturus est, in quâ judicatus: c. Forma servi servis demonstrabitur; forma Dei filiis servabitur. Fiant ergo servi filii; qui sunt ad dexteram, eant in æternam hæreditatem olim promissam, quam non videntes martyres crediderunt, pro cujus promissione sanguinem suum sine dubitatione fuderunt: eant illic, et videant ibi. » S. Augustinus, tract. 21 in Joan. Eant per charitatem et mandatorum observantiam; hæc est via ad videndum Patrem, et Filium in formâ Dei. *Qui habet mandata mea, inquit, et servat ea, ille est qui diligit me; et qui me diligit, diligitur à Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Joan. 14, 21. c. Non te fraudabo, ô homo fidelis, crede quia videbis. Amas, et non vides: amor ipse non te perducit ut videas? Ama, persevera in amando: non fraudabo, inquit, amorem tuum, qui mundavi cor tuum. Ut quid enim mundavi cor tuum, nisi ut Deus à te possit videri? *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* » Math. 5, 8.

VERS. 24. — *Anen, amen dico vobis: Quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit à morte ad vitam.* Hæc summa christianæ religionis, 1^o Evangelium audire, non auribus duntaxat corporis, sed cordis: *Qui verbum meum audit;* 2^o Trinitatis et incarnationis mysteria fide explicitâ credere: *et credit*

ei qui misit me; 3^o lapsum Adami, totiusque humani generis in ipso, peccatum originale in omnes homines transfusum, mortem animæ et corporis consecutam, illicque et posteris communem; 4^o necessitatem Redemptoris ac mediatoris, pro cujus passionem, mortem ac resurrectionem, de morte ad vitam transeamus; 5^o spes vite æternæ: *Habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit à morte ad vitam.* Christi verbo per fidem firmiter adhareamus: illo in spe vite æternæ nutriamur: illud per charitatem servemus et executioni mandemus.

Qui credit in me... in judicium non venit, sed transit à morte ad vitam. Duplex judicium est, unum discretionis, alterum damnationis. Primum spectant hæc prophete verba: *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sanctâ.* Secundum hoc judicium, oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Secundum autem judicium damnationis: *Qui audit verbum meum, inquit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit à morte ad vitam.* Quid est, in judicium non venit? In damnationem non venit, sed transit à morte ad vitam. Quæ est vita tua? Fides. *Justus ex fide vivit.* Infideles quid? Mortui sunt. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, inquit Christus; surge, qui dormis, ait Apostolus, et exurge à mortuis, et illuminabit te Christus:* c. Jam cuncte credentem illuminaverit, transiit à morte ad vitam: mane in eo quod transiit, et non venies quid judicium. Transire igitur de morte ad vitam, est transire ad infidelitatem ad fidem, ab injustitiâ ad justitiâ, à superbiâ ab humilitate, ab odio ad charitatem. »

VERS. 25. — *Amen, amen dico vobis: Quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.* Mortuos omnes ad vitam revocabit vox imperiumque Filii Dei: peccatores interim voce inspirationum suarum ad vitam vocat, et qui audiunt, vivunt. In potestate quidem omnium est audire vel non audire, quatenus liberè audiunt vel non audiunt; sed plena et perfecta potestas non est ad audiendum, nisi Deus aures cordis aperiat. Quot inter Christianos qui vitâ corporis vivunt et spirant, verè sunt mortui! Qui enim credunt, et secundum veram fidem agunt, vivunt, et mortui non sunt: qui autem vel non credunt, vel sicut demones credunt, tremantes et malè videntes, Filium Dei confidentes et charitatem non habentes, mortui postis deputandi sunt. Et tamen adhuc agitur hora ista de qua locutus est Dominus: *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei.* Ex quo locutus est Christus usque ad hoc tempus, et usque ad finem seculi, ipsa una hora agitur, de qua S. Joannes ait: *Filii, novissima hora est.* Nunc ergo qui mortui sunt, audiant vocem Filii Dei, et vivant; surgant in corde suo, de sepulcro suo procedant. c. Mortuus in corde tuo tantum in sepulcro jacetas, et tantum saxo male consuetudinis gravabar. Surge, et procede. *Et qui audierint, surge et procede?* Crede, et confitere. *Et qui audierint, vivent.* De qua vitâ? De Christo. *Ego sum, inquit, vita, veritas, et vita.* Ambulare vis? Ego sum via. Falli non

vis? Ego sum veritas. Mori non vis? Ego sum vita. Hoc dicit tibi Salvator tuus: Non est quod eas, nisi ad me; non est quâ eas, nisi per me... Erigat te Christus per id quod homo est, ducat te per id quod Deus homo est, perducit te ad id quod Deus est. » Hæc Augustinus, tract. 23 in Joan., n. 6.

VERS. 26. — *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* c. Paulus vitam habet, non in semetipso, sed in Christo. Tu fidelis ubi habes? Non in temetipso, sed in Christo. *Vivo ergo, inquit Apostolus, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Vita nostra tanquam nostra, id est, de voluntate propriâ nostrâ, non erit nisi mala, peccatrix, iniqua: vita verò bona de Deo in nobis est, non à nobis; à Deo nobis datur, non à nobis. Christus autem in semetipso habet vitam sicut Pater, quia Verbum Dei. Non modò malè vivit, et modò bonè vivit; homo autem modò malè, modò bonè. Qui malè vivebat, in vitâ suâ erat: qui bonè vivit, ad vitam Christi transit. Particeps factus vite, non eras quod accepisti, et eras qui acciperes: Filius autem Dei non quasi primò facti sine vitâ et accepit vitam. Si enim sic illam acciperet, non eam haberet in semetipso. » S. August., tract. 22 in Joan. Quid est enim, in semetipso? Ut ipsa vita ipse esset.

VERS. 28, 29. — *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitam: Qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Tota prædicatio dispensatioque per Christum hæc est, ut resurgant anima, resurgant et corpora. Utrumque quippe mortuum erat, corpus ex infirmitate, anima ex iniquitate. Quia utrumque mortuum erat, resurgat utrumque. Per quid anima, nisi per hominem Christum? Per quid corpus, nisi per hominem Christum?

Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitam, etc. Inter bona et mala opera, nihil medium. Omnia enim opera, omnes actus voluntatis nostræ, vel ex amore Dei, vel ex amore proprio ortum habent: quæ ex charitate procedunt, ad Deum referuntur, et ab eo remunerabuntur: quæ ex cupiditate, non referuntur ad Deum, et ab eo punientur.

VERS. 30. — *Judicium meum justum est: quia non quero salutem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Voluntati Dei ut certissimæ et immutabili regulæ adhareamus, ut judicium nostrum de rebus divinis et animæ nostræ salutem spectantibus semper justum, ac rectum sit. Ideo enim sæpè falsum et injustum est judicium nostrum, quia voluntatem nostram et cupiditatem implere querimus, non voluntatem Dei. Quamobrem: *Plauti puerulus cæcitate super illicitas cupiditates,* S. Augustinus.

VERS. 31. — *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, etc.* Christi missio et divinitas

CAPUT VI.

1. Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadas:

probata est. 4^o Testimonio Joannis: *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati.* 2^o Testimonio operum divinarum: *Ipsa opera que ego facio, testimonium perhibet de me, quia Pater misit me.* 3^o Testimonio Patris: *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* 4^o Testimonio Scripturarum: *Scrutinamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Christi et Ecclesie ministri de se ipsis testimonium non perhibeant, jactantiam et ostentationem fugiant; bonorum operum exemplo, non humanis laudibus probari cupiant et satagent; Scripturas scrutentur; in illarum lectione non solum assidue versentur, sed eorum sensum querant et assequi curent, diligenti collatione ipsarum Scripturarum, Patrum antiquorum lectione, Ecclesie catholice doctrinâ ab apostolis traditâ, et per continuam episcoporum successione ad nos usque transmissâ. *Scrutinamini Scripturas* que sunt substantia sacerdoti, que utiles sunt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Nulli se ingerant Ecclesiastico ministerio propriâ voluntate, non cura animarum, non verbi divini predicationis, non confessionibus excipiendis et conscientis moderandis, absque legitimâ vocatione et missione. Unam verò Dei gloriam et animarum Christi sanguine redemptarum salutem pro fine habeant. Superbiam, inanemque gloriam non solum fructum omnem laborum ipsis præceptorum cogitent; sed et fidei fundamentum quodammodo concussuram, si in eâ finem suum constituent. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem appetitis, et gloriam que à solo Deo est, non queritis?* Hinc Apostolus: *Si adhuc hominibus placere, inquit, Christi servus non essem.* Non credunt, inquam, fide per dilectionem operante, qui gloriam humanam querunt magis quam gloriam Dei. *Cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.*

1^o Christianis omnibus commendetur lectio Scripturarum, que ad Christi cognitionem perducunt, et viam regni celestis, æternæque vite ostendunt. *Scrutinamini Scripturas, quia res putatis in ipsis vitam æternam habere: et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.*

2^o Inculcandum omnibus est divini amoris præceptum, qui nullum à se rivolum duci extra patitur, cuius derivatione minuitur, ut loquitur S. Augustinus. *Dilectionem Dei non habetis in vobis.*

3^o Omnibus pariter inculcandum est, ut rectâ et purâ intentione omnia opera sua consecrent, et semper in Christi nomine, ac propter Dei gloriam operentur; quod nisi faciant, agunt ut infideles, ut Pagani, animalia glorie, mancipia superbiæ, servi cupiditatis et voluptatis. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: et gloriam que à solo Deo est, non queritis?*

CHAPITRE VI.

1. Jésus s'en alla ensuite au delà de la mer de Galilée, qui est celle de Tiberiade.